

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmmmm

11m mmmmmmmmmmmmmmmmmmmmm

Qualiter ad uocabis in equis

- Personalschriften -  
 = 54 Nummern, 1628.-1642. J. =

51. Albinus, M. Luv.	44. Heinrich, Sam.	35. Pucklirsch, Jos.
32. 33. 34. } Baldwin, Friedr.	46. Holtzmüller, Joh.	41. Quellmaltz, Luv.
42. Bamberg, Luv. d. J.	29. Horlemann, Andr.	8. Röber, Sabina
26. 27. } Barthmann, Joh.	49. Hülsemann, Johann	45. Schindler-Berg
4. 5. } Biener, Christ.	50. Hlchner, Paul	43. Sperling, Paul
40. Braun, Valmt.	7. Johann Georg, Kurfürst	18. Ströer, Matth.
20. Coler, Johann	21. Kirsten, Mart.	1. Treuttsch, Chris. u. a.
22. Cramer, Theod.	17. Liborius, Joham.	11. Ull, Johannes
24. Crusius, A.	16. Macht, Michael	12. ders.
48. Ehrenhold	3. Neefe, Joh. Cusp.	25. Wagner, Gottf.
23. Emmerling, Sam.	13. Nigrinus, Wilt.	6. Weber, Paul
51. 52. 53. } Ferdinand III	14. ders.	31. Wächinger, Joh.
10. Gärtner, Paul	15. ders.	39. Weiskopff, Joh.
47. Gotterrichtungen, nach Ovidischer Art	36. Plattner, Georg	9. Weller, Jakob
2. Graul, Daniel	37. Polonius, Raph.	19. ders.
28. Graul, Daniel	38. ders.	30. ders.

*In*  
**Honores Magisteriales**  
*sub*  
*Magnifico Rectore*  
**JOHANNNE HULSEMANNO**  
 SS. THEOL. D. & PROFESS. PUBL.

*à*  
*Speſtabili Decano*  
**JACOBO WELLERO SS. THEOL. D.**  
 Ejusdemq; Extraord. & Oriental. Lingv. Ordinar.  
 Prof. Publ.

**THEODORO CRAMERO**  
 Tzſchopâ-Mifnico.

*collatos*  
 d. 2. Aprilis  
**ANNO MDCCXXXIX.**

---

**WITTEBERGÆ,**  
 Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

**T**une inter lituos, *CRAMERE*, quietior esse,  
Virtutemque sequi dira per arma potes?  
**N**on minor est Virtus, per classica querere Musas,  
Quàm per opes Cræsi querere pauperiem.  
Hanc æquum est luctam dignis ornare brabéis,  
Hæc cape, nam Martis sunt potiora sacris.  
*gratulaturus adjiciebat*

Joh. Hulsemannus D.  
p. t. Academiæ Rector.

**N**on vetus hîc Orbis tantùm, sed & **INDICUS** artes  
Excolit, & doctos maçtat honore viros.  
Scilicet ex usu didicit, non posse vel aulas  
Vel populum, rectrix sit nisi Musa, regi.  
Sol oculus cœlo est, oculus Sapia terra,  
Qvo sine confusum est Orbis uterque chaos.  
**O** vigeant oculi, mundo veniente senectâ,  
Tuque, *CRAMERE*, vige, dulcis ocelle, vige.

[ *Allusum ad Sinensium Academiæ, de quibus Relator An 1599. Latinè redditus ex Italico à Franc. Orano: Non existimo, ullâ in historiâ contineri, gentem adeò studiosam & literarum amantem. Cujus hæc præcipua ratio, quod Rex ( à quo, ut membra à capite, dependent omnes ) Officia & Publica munera provinciarum juxta, cujusq; eruditionem, & quem in literis assecutus est, gradum, distribuit &c. Unum dicam, quibusdam fortè incredibile, quod tamen hisce oculis vidi, hoc in regno tot Athenas inveniri, quot sunt Sine totius Civitates & castella, cum in horum quoq; Generale Studium ( Universitatem vocamus ) habeatur, in quo docentur & examinantur territorij ejus incolæ, nullâ Scholarum aut Juventutis. hujus aut illius, permissione, quod sit tam incorrupto judicio ac Præsidium Gymnasiorum & examinatorum integritate, ut primùm de scriptione indicium fiat, & præmia ac gradus pro merito conferantur, post scriptoris & autoris nomen sigillo avulso referatur, tam parvis impendij ac studiorum sumtibus, ut loco pecuniaria contributionis Gymnasio faciendæ, regis impensis, pro merito studentium & gradu præmia deferantur. ]*

Paulus Röberus D.  
Prof. Pastor & Superintend.

**S**ic est: ipse Deus nobis bona cuncta labore  
Vendidit; & gratis dat tamen omne bonum.  
Et tu continuos, CRAMERE, gravesq; labores  
Exhausti, ut meritis premia digna feras.  
Accipis at gratis laurum, titulumq; Magistri,  
Quem me dante Tibi Leucoris alma dedit.  
Gratulor ex animo! ceptos jam perge labores,  
Cœlica sic gratis premia Jova dabit.

Benevolentia testanda ergò  
fecit

Jacobus Weller D.

Facult. Philos. p. t. Decanus.

**Ο**ὐ̄ εὐρες ἤδη κλειτὸν ἐν παλάμαις Θεῶ  
Στέφανον, ΚΡΑΜΗΡΕ, ἴδρον ὀϊωνοῖς λάβε  
Εὐδαιμον: αἴτιοι καὶ θείοις πάνυ.  
Ξανθὸς δὲ μακρὰ χρυσός, ὑάκινθος τέ σοι  
Πορφυρέη ἔσποιτ', ὄλβον ἀξίαση μέγαν.

M. Joh. Ericus Ostermannus,  
P. P.

**L**audatur dignè docilis solertia; namq;  
Quæcunque ex merito laus venit, æqua venit.  
Ast opus & labor est: nec enim Sapientia molli  
Incubat in lecto, parta labore venit.  
Propterea nemo fructus & præmia honoris  
Præterquàm jugi sedulitate capit.  
Sic Tibi cùm tituli & laudes, THEODORE, ferantur,  
Quid nisi doctrinam colligere inde licet?  
Elucet fervor, simul & tibi, quæ modò prompta  
Conciliat summos Philosophia gradus.

A 2

Quare

Quare de tantis grator Cognate brabeis,  
Et precor, ut Patrie hinc commoda multa feras.  
Incolumi longos superaddat providus annos,  
Prosperet & studium tempus in omne DEUS!

*Concivi & Cognato*

*suo dilectissimo f.*

M. Casparus Schmidt

Tzschopenfis, Eccles. Wit. Diac.

---

Ad Dn. M. THEODORUM CRAMERUM,

Sympatriotam meum,

*cum fieret Magister.*

**S**ylvestres populi non Phœbi munera temnunt,

*Non tenuis quamvis educet axis eos.*

Orpheu, sic quondam sylvæ tua verba secuta,

*Dum tractas dulcis fila sonora lyra.*

Tu quoque, Sympatriota, meis in montibus altus

*Poscis & hic hirtis mollia ferta comis.*

Pergito: ne dubita, tandem superabimus Alpes,

*Sudetosque viros tollet ad alta DEUS.*

Itale jam cedis Sueco, Danoq; celebri,

*Artibus hisq; minor Misnica terra viris.*

Hec quorsum! sedes Musæ mutare videntur,

*Et nullus populis mollibus esse favor.*

I, nostrumq; tuis populum mox dotibus orna,

*Ut fructus, vendit quos Witeberga, paret.*

M. Michaël Wendelerus

Schlettâ-Misn. Fac. Philos. Adj.

---

**I**mpiger extremas mundi mercator ad oras  
per mare currit

Pauperiem fugiens: nec quicquam cedis, Amice,

*Aonidumq;*

*Callide*

*Callide Mercator, latum ne devius ungvem!*  
Palladis amplas  
Exponis merces, quivis ut cernat apertè,  
Sunt pretiosa  
Omnia profectò: quibus hinc, quibus inde coruscat  
structa taberna.  
Nam primò purum Naturæ divitis aurum  
cerno: deinceps  
Et Latia & Grajæ præclara phalarica terræ.  
Hic radiosus  
Chrysolithus Sophies: illic virtutis Jaspis,  
& pietatis  
Aspectum invitat viridante colore Smaragdus.  
Sunt pretiosa  
Omnia: nunc operæ pretium est cognoscere paucis,  
hæc quibus oris  
*Emeris; haud affert multâ vitiata palude  
talìa tellus.*  
En *mea Porta* tibi quàm plurima vendidit: illic  
Dextra *CUNADI*  
Rectoris, quem jam perduxit ad alta Sionis  
astra *JEHOVA*,  
Lingvarum gazas, post cætera docta Magistrum  
Cura reclusit,  
Et *Witeberga* tibi quàm plurima vendidit; hic te  
inter opimas  
Divitias duxit Spectabilis Ordo Sophorum.  
Quin & in istâ  
Partem laude tenet *WELLERI* provida cura,  
Quem mea Musa  
Plus amat ipsa suis oculis, atque inelyta Sion  
deveneratur.

A 3

Nec

Nec te poeniteat pretij: duce & auspice Christo,  
cuncta labore,  
Et sudore tuo multo noctesq; diesq;  
cuncta parasti.  
En *mercatura* nunc proclamare *Magister*  
*Palladia*, proh!  
Gratulor ex animo, & tibi plaudo, plaudo *CRAMERE*,  
Docte *Magister*.

*Ita gratulatur suo Amico  
plurimum dilecto*

*M. Johannes Schindlerus Chemnicensis,  
SS. Theolog. Studiosus.*

**O** *Mnes Teutoneo te dicunt ore Cramerum,  
Te Mercatorem lingua Latina vocat:  
Non tamen exponi varias longo ordine merces,  
Nec lucri causa puppibus equor aras.  
Qua ratione igitur defendes nomina? Mirus  
Mercator, qui non pignora mercis habet.  
At haec salva satis res est, THEODORE CRAMERE,  
Nomina conveniunt rebus & ista suis.  
Nam quamvis tumidis non sis mercator in undis,  
Quamvis te multa non comitentur opes;  
Multa tamen tibi dia dedit benedictio dona,  
Dona peregrinis anteferenda bonis.  
Scilicet hic sedes ubi fixit Apollo benignas,  
Hic ubi LUTHERI suaviter ossa cubant,  
Emtor ades, variisque replent tua pectora merces,  
Et juvat Aonias carpere Montis opes.  
Ipse tibi DEUS haec ex altis ocia fecit,  
Ut quod proponis, non male cedat opus.  
Hinc recreat te suave lucrum, nam sponte Decanus,  
Qui jam nunc Phæbi supplet, agitque vices,  
Ille, inquam, celebri qui fama clarus in orbe est,  
WELLERUS frontem cingit amatque tuam.*

*Et*



250

*Et gemmam digitis, fulvum superaddit. & aurum,*  
*Atq; Magisterii porrigit omne decus.*  
*Quàm felix Mercator ades, THEODORE CRAMERE!*  
*Mercatura lucrum nobile talis habet.*  
*Expone has Mundo in CHRISTI praconia merces,*  
*Donec ab aeternis exhilarere bonis.*

*Amico & Commensali suo percharo  
gratulabundus fecit*

M. Abraham Eccardus  
Bernstadio Silesius.

---

**C**Orpus in aprico ceu semper projicit umbram,  
Hæcq; viam sequitur corporis usq; sui:  
Sic semper sequitur didicisse fideliter artes  
Virtutis merces bellula, multus honor.  
Hisce duobus enim decus immortale paratur  
*Arte & Marte*, haud laus plenior ulla venit.  
*Arte* tamen major, constantior atq; paratur  
Gloria, qui sequitur dignius, ille sapit.  
En C R A M E R E tibi, queis nunc maectaris, honores  
Gratulor, augefcas pluribus, opto tibi,

*Sic ex animo gratul.*

M. Georgius Volckmari  
Pribusiâ SiL.

---

**Q**uisq; sua sequitur natura semina, quisq;  
Res illas, Genius quas adamavit, agit.  
Hinc Venus hosce juvat, quosdam delectat Enyo,  
Murcia nonnullos, Nyctileusq; Deus.  
Currere ad extremos alios Garamantas & Indos  
Et variâ lucrum querere merce juvat.  
Sed Tibi, cui cerebrum de nobiliore metallo  
Effinxit Numen, nobiliora placent.  
Te, Cramere, piè juvat impallescere doctis  
Philosophum libris, Theologumq; Sacris.

Hic

*His Tibi perpetuas Virtutis colligis arte  
Divitias, caries quas neq; marcor edet.  
Ergò nunc sequitur merces optata laborem,  
Dum capis Aonij jura Magisterij.  
Gratulor hos titulos, insignia, nomina, laudes,  
Et precor, ut tribuat premia plura DEUS.  
Gratulabundus appropereb:*

*M. Gottfriedt Salbach.*

---

**N**ectite Pierides verno de flore coronam,  
Nectite Cramero mollia ferta manu;  
Tempora, quâ fas est, lauro redimite juventæ,  
Quæ divis Musis pectora nata gerit.  
Ultimus haud fuerat Cramerus miles in armis,  
Phœbe, tuis, hinc nunc præmia digna capit.  
Sed quid nunc Phœbum, quid nunc moneove Camanas  
Nam jamdum docta fronde revinctus abit.  
Gratulor ex animo dignos tibi frontis honores,  
Heic qui te studiis incubuisse docent.  
*Amicissimo suo competitori approb.*

*M. Henricus Thomæ  
Mœno - Francofurtanus.*

---

**S**unt, queis Fortune Zephyris, curâq; parentum  
Puncta beatorum ferre benigna datur,  
Oris qui missi patriis transire Lycæa  
Crassi velificant ære reposto atavi:  
Sunt, quibus à teneris Tutorum cura favorq;  
Formavit studiis assiduis animum.  
Haut tamen emergunt dias in luminis oras,  
Tendere nec curant nobile laudis iter.  
Instar lumbrici repunt, & humi usque jacentes  
Umbrarum cecis semper amant latebras.

*To*

*Te paulò melior genius generosior atq;  
Mens agit, è paucis chare Cramere meis.  
Non placuit latitare tibi, sed honore superbum  
Exeruisse caput cura laborq; fuit,  
Nec potuit Fati violentia vela retrorsum  
Vertere, nec remoras recedere pauperies.  
Sed victor subigis quicquid grave, quicquid acerbum  
Oggestit cœptis fors inimica tuis.  
Ergo brabèa tuis auferis conatibus æqua,  
Clara Magisterij nomina victor habes.  
Hoc est quod leto tibi jam congratulor ore,  
Atq; simul votis Numina posco meis,  
Ut faveant porro cœptis atq; orsa secudent  
Fugiter, hæc voti summa caputq; mei est.  
Competitori suo honoris ergo  
depreperab.*

M. Andreas Ferber Cygn.  
Ser. El. Sax. Alumnus.

---

**V**ersibus alludant alij ad cognominis omen,  
Quod geris, est sanctum nomen, & omen habet,  
Nempè *DEI Donum* nomen sonat, omen habebis,  
Si modò *Te* incolumem protegat usq; *DEUS*.  
Omen habes, siquidem pius es, titulumq; Magistri,  
Atq; viri docti nomen, *Amice*, geris,  
Nomen, *Amice*, geris docti, testantur ut omnes,  
Testantur satis ut *Leucoreæq; Scholæ*.  
Queis modò doctrinam, vitam, moresq; probasti.  
Hinc *Tu* pro meritis digna brabèa capis.  
Quod superest, *Fautor*, voto *Tibi* pectoris imo  
Gratulor, optatum *Te* tetigisse scopum.

B

Ipsc

Ipsē *DEUM* pariterq; precor, tua cœpta secundet,  
Quò prodesse queas & *Patriæ* atq; *Tuis*.

*Gratulabundus scrib. Amico & Fau-*  
*tori suo pl. dilecto*

*Jeremias Bauszwein*  
*Papenheimensis.*

---

MAGISTER THEODORUS CRAMERUS

*per Ανάγγελου:*

SURGIS. RORE DEUS MACTET HORAM!

**P**roposuit siccis Deus omnia dura, labore  
fœta nitore nitent splendidiore bona.  
Alba laboranti fert gaudia stella Charybdi,  
fœnore culturam donat opima seges.  
Et, CRAMERE, pio laudem quando appetis igne  
Mûsarum, sudans usq; labore cales.  
Hinc ignem nova Laus animat, signatq; laborem  
Laude novâ, rosa ceu purpurat, ipse nites.  
Excipit en pennâ solvi metuente, laborem  
Excipit usurâ divite Fama tuum.

SURGIS. RORE precor MACTET DEUS ipse laboris  
HORAM largifluis ! perpete Rore beet!

Constantinus Zieger Döbelensis.

---

**Κ**άλλος ἀγλαΐη καὶ χρύσεια κτήματα πλῆτῃς  
Ἐσωμέναις μερόπων πολλαὶ ἔχουσι Φρένας.  
Τηκτὸν δὴ κάλλος, πόλεμος καὶ πλῆτῃν ὀλέσκει  
Ἐλπῶν τῶν πλείστα χαύνη ἔφου.  
Ἀλλὰ μόνῃς ἀρετῆς ἄσφρονον παρμένει ἄνθρωπος,  
καίπερ ἀμαμάκετον καιρὸν ἐς ἐχθρὸν ἔχει.  
Ὅκναλέως ἀρετῆ τινὰ δὴ νήποινον εἶται,  
ἔ ποτε σύμφοιτος σώματι γαῖαν ἐρεῖ.  
Πάμμακαρ ἐν ἀρετῇ γέλγων φρενογελεῖ ἀσθῆ  
Πάμμακαρ ἀντ' ἀρετῆς κτήματα πάντα φρέων.

Σε,

Σε, τριφίλιτ' ἀρετῆς αἰὲν τέρφασκεν ἐρευνᾶν  
 Καλλοβόρω παρθῇ χρυσοβόρω τε πόνω.  
 Τῆς τε τῆς παρθῆς Ὀπιδάρτυρες εἰσι πύλαο  
 αἰσοὶ καὶ λαμπρῆς λευκόριδος ναέται.  
 Νῦν ἀρετῆ Φαιδρῶν ἀγέμεν σ' ἐσ' οὐμήγουριν ἀνδρῶν  
 Σπείουατο, καὶ τιμὴν σοι παρέδωκε νέην.  
 Συγχαίρω τίνυν καὶ ἔαν τεὰ σήθεα καμνῆ,  
 Φίλε, μέριμνα τρέφῃ, σ' εὐχομα εὐτελίην.  
 Christianus Kesner Haynensis.

**S**eid Ihr denn nun auch erwehlet  
 Zu empfangen diesen lohn/  
 Den jetzt vnser Helicon  
 Diesen nur hat zugezehlet  
 Welche sein Apollo liebt/  
 Den er gunst vnd ehre giebet  
 Ich begönne fast zu schliessen  
 ewrer sinnen irrdisch hauß/  
 Da nichts eingehet oder aus  
 als gelehrte sachen wissen /  
 Habe seine schuld vnd pfliche  
 nur auff Götter gunst gericht.  
 Denn in diesen Ehrenschranccken  
 einzukommen jederzeit /  
 lehret die gelegenheit  
 mit geflügelten gedancken  
 jeden/so er wil vnd kan/  
 embsig fliegen Himmel an.  
 Drumb wie Ihr nun überwunden  
 wo der schlechte pöfel kreuche  
 da nur alles irrdisch reucht/  
 so laß Euch viel zeit vnd stunden  
 Jupiter nicht ohne ruh  
 Ewre kunst vnd leben zu.  
*Ita Commensali & Amico suo pl. honorando vovet*  
 Conradus Schebelius Jaurâ-Silesius.

**W**Er inner dieser zeit/da die gelehrten liegen  
Vnd ziemlich vnwehrt sind/da nur des Martis siegen  
Vnd sein verraubtes volck geacht wird vnd geehrt/  
Doch seinen ernstest fleiß mit harter müß vermehret  
Ist billich rühmens werth; Sein sinn ist hoch zu loben/  
Er trachtet nach der kunst/acht nicht Bellona toben;  
Ein andre hoffnung ist/ die ihn so wohl ernehret/  
Das er nie müde wird/vnd also steif verfehret.  
Ihr mein hohwerther freund habt eben die gedancken/  
Es sol nichts von der Welt euch aus der Pallas schrancken  
Zu jagen mächtig sein/vnd dieses habt ihr auch  
Mit ehr vnd ruhm erweist; Es hat kein herber rauch  
Der bittern krieges noch vermocht euch zu vertreiben/  
Der Tugendhafte Geist hat stätig müssen bleiben  
In dem gelehrten Sitz/biß er dahin gelangt /  
Das durch gemüthen fleis er bestes würdig prangt  
Mit seiner Lorberkron / die euch anjezt belohnet/  
Auch so/das sterblichkeit numehro ewer schonet/  
Vnd euch fast ewig sein; der Edlen Tugendpreis  
Bawt euch das leben auff/vnd lohnet ewrem fleis.  
Wol euch mein liebster Freund! wol solchen edlen sinnen!  
Ich wünesche das hinfort dies edele beginnen/  
So ihr annoch auch habt/ euch bringe mit der zeit  
Zu solcher ehr vnd glück/ so pranget vnd erfreut.

Wie ohnablässig günnet vnd  
wüneschet ewer trewer

Victorin Sichtner  
von Sittau.

Stadtbibliothek Chemnitz



A 145109 5



SLUB

Wir führen Wissen.



STADT  
BIBLIOTHEK  
CHEMNITZ



Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.

Handwritten text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side.